

uam
 genit
 quam
 in vos
 aut
 omis
 ego
 ait
 dicit
 quid
 nega
 Etia
 te
 et os
 ne
 in villa
 et
 sedere
 et o
 et du
 omni

iste. Verumtamen no sicut
 ego uolo. s; sic uis. uenit
 ad discipulos et inuenit
 eos dormientes. Et dicit

M C P R S

uia uia uigilare meum
 Vigilate et orate ut non
 intretis in temptationem.
 Spis quidem promptus e
 caro autem infirma. Ite
 abijt et orauit uices
 pat in pt hic calix transire
 nisi bibere illu fiat uolun
 tas tua. Venit iteu et i
 uenit eos dormientes. Et ait

I 6 I 4

lectus illis itez abijt tertio
 et orauit eundem sinonem di
 Cui uenit ad discipulos su
 os et dicit eis Dormite ta
 et inuestite. cor unum d



Arena Hutteri

60 13

Disputatio inauguralis de Fide significante Meisneri.

Disputatio de Calvinismo fugiendo Meisneri

De Vera Deitate Christi disput. Bald.

Disput. Antiphoniarum de Leyt, de Paulo Reustenbergi

Disputatio Aristot. de duobus N. T. sacramentis Wilhelmi.

Disput. de officio Christi Franzi

Disput. de sacramento V. T. Franzi

Disput. de Passione Filii Dei Garbii

Harmonia Calvi. et Photin. Lyseri.

Disput. de Sacramento Eucharistiae forma et essentia

P. Lyseri

Reversari. de Hypothese Genealogica Salsi Calvi

8. 8

DISPUTATIO
THEOLOGICA ORDINARIA
De
SACRIFICIIS
VETERIS TESTAMEN-
TI, QUOD FUERINT TYPI
Satisfactionis Domini nostri IESU CHRI-
STI, pro peccatis totius generis humani in cruce
peractæ, adversus ludæos & Arianos recentres
potissimum ex V. Testamenti li-
bris confecta.

Quæ sub Jēſū

Publicè habebitur ad diem 10. Junij

P R Æ S I D E

VVOLFANGO FRANZIO
Theol. Doctore.

R E S P O N D E N T E

C.ÆLESTINO MISLENTA
ANGERB. BORUSSO.

VVITTEBERGÆ,

Typis IOHANNIS GORMANNI, Anno 1614.

DISPUTATIO
THEOLOGICA ORDINARIA
DE

SACRIFICIIS
VETERIS TESTAMENTI

TI. QUOD FUERINT TYPI
SACRIFICII DOMINI IESU CHRISTI
AUCTORITATE DOMINI
PAPAE SIXTI V. PONTIFICIS
MAXIMI

PUBLICAE HABITUAE AD HANC
SACRILEGIUM

VOTEGANGO RANNO
Theol. Doctor.

CAESARINO MISTENIA
LAGER

LEHANNIS CORNANI ANNO 1611





Thesis I.



Vanquam hodierni hæretici; qui inter alia in gratiam Judæorum, quos facilius converti posse sperant, in doctrina de Deo, veterem Photini impietatem magno conatu in omnes Europæ Ecclesias introducere moluntur, (undè etiam Photiniani cognominantur, quos tamen vulgus notiore titulo indigitat Arianos) vix ullum intactum relinquunt fidei Christianæ Articulum, quin potiùs ferè omnibus & singulis Articulis, imò omnium & singulorum articulorum fermè cunctis & singulis partibus dicam aliquam censoriam scribere gestiunt, tamen cum primis auditu sunt horrenda illa, quæ contra Articulum de Sacrosancta Trinitate, & contra Articulum de Satisfactione pro peccatis totius generis humani plenissimâ per Dominum nostrum IESUM CHRISTVM in cruce peractâ, tam prolixis libris, & tam fervidis studijs, tamque continuanter & pertinacissimè disputant.

II.

Istis enim disputationibus adversus duo tam fundamentalia Christianæ nostræ Religionis capita passim locorum intra & extra Germaniam omnium ordinum hominibus scrupulos injiciunt magnos, quos paucissimi sibi met ipsis eximere valent. Et quia cum maximo humanitatis & mansuetudinis studio negotia illa sua in scriptis longè lateq; sparsis & in conversationibus vivis cum peregrinantibus quibusvis communicant, plurimos sibi facilius demulcent, & quotidie cœtus suos reddunt ampliores.

III.

Hoc autem est illud, quod cogunt passim dubitare homi-

nes. I. Utrum rectè faciant, quod in animis suis fide suâ colant,
& in precibus suis invocent Patrem, Filium & Spiritum sanctum,
nimirum in tribus personis distinctis, unum in Essentia. D E U M.
II. Utrum non errent, quod credunt plenâ cum fiduciâ Chri-
stum satisfacisse tum pro peccatis totius generis humani, tum
quoq; pro peccatis uniuscujusq; hominis.

IV.

Tanti sunt res illæ momenti, ut cujuscunq; classis littera-
rum præsertim vnumquem vis circa omnes exceptiones ipsum
extimulare debeant ad veritatem istam cœlestem, ex ipsis Spiritus
S. divinissimis scripturis quærendam, & non obiter, sed peni-
tissimè quærendam, adeò ut in conscientia scriniolo ne granu-
lum scrupuli ullius remaneat, & ut tantis aduersarijs maturius oc-
casio Europeis Ecclesiis sese insinuandi omnis præscindatur, ne
posteritas nostra olim conqueri cogatur, & fermè verba eadem
usurpare necessum habeat, quæ extant de veteribus Arianis a-
pud Socratem lib. 2. cap. 37. & Theodororum lib. 2. cap. 20. 21.
quod totus orbis christianus ingemuerit, & miratus sit, se tam
citò factum esse Arianum.

V.

Cum igitur hætenus in aliquot alijs disputationibus or-
dinarijs Theologicis pro alijs Articulis aduersus hostes istos in
medium proposita fuerint verbi divinissimi *ὅτι ἡμεῖς ἀποκατάστασιν
ἀμωτηρία*, nunc in hac ordinaria disputatione pro Articulo de Satisfa-
ctio ne Christi in cruce peracta, pro peccatis totius generis hu-
mani, aduersus eosdem ex illis sacris Scripturis, & quidem potissimè veteris instrumenti, quæ
de Sacrificijs agunt mentè, & verba Spiritus sancti cognoscere, & piè estima-
re, cumq; studiola pube conferre, & nostrarum Ecclesiarum Con-
fessionem solidè confirmare, aduersariisq; os obturare placuit.
*Quibus sanctis conatibus ut benedicat ex alto misericordia Domini, votis ex-
optamus ardentissimis.*

VI.

Ne autem sine Methodo aliqua in tantæ rei tractatione
sudemus, curæ præcium erit alicujus præmittere ipsam ipsorum
aduersariorum de sanguine Christi effulo, de passione & cruci-
fixione.

axione, deq; morte & sepultura istius ipsius opinionem, ut pa-
teat quis sit genuinus controversiæ status.

VII.

Etenim nequaquam negare volunt, sed potius omnibus
manibus sese amplecti præ se ferunt illa sacrarum litterarū ora-
cula, quod Christi mors adumbrata fuerit per Sacrificia in Levitico Mosai-
co, quod languores nostros ipse Christus tulerit, dolores nostros ipse portave-
rit, quod vulneratus sit propter prævaricationes nostras, quod attritus sit
propter iniquitates nostras, quod castigatio pacis nostræ super eum, quod
livore ejus sanati fuerimus, Esa. 53. quodq; hæc de Christo sint intel-
ligenda, etiam juxta interpretationem Philippi, Act. 8. circa fi-
nem.

VIII.

Similiter maximi sese facere jaçtirant aphorismos sacros
reliquos, quod Christus nos redemerit ab execratione legis, dum pro nobis
factus est execratio, Galat. 3, 13. quod dederit semetipsum pro nobis,
Tit. 2, 14. Quod redempti simus non caducis rebus, argento & auro, sed
precioso sanguine agni immaculati & incontaminati Christi 1. Pet. 1, 18.
Quod Filius hominis non venerit, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, &
daret animam suam redemptionis precium pro multis Matth. 20. Quod re-
demptio facta sit per IESUM CHRISTUM, quem proposuit DEVS,
ut esset placamen per fidem in sanguine suo, Rom. 3, 25. Quod DEVS
misso Filio ipsius suo conformato carni peccati, idq; pro peccato condemnave-
rit peccatum in carne, Rom. 8, 3. Quod habeamus redemptionem in Chri-
sto per sanguinem ipsius, Coloss. 1, 14.

IX.

Omnino hos, quin & sequentes omnes, quoad literam
ipsam solidè complecti & credere videri volunt, quod Christus
beneficio DEI pro omnibus mortem gustarit, fidelis Pontifex, in his que
apud DEVM. id expianda peccata populi. Heb. 2, 9. 17. Quod Christus pas-
sus sit pro nobis, & quod peccata nostra in corpore suo super lignum pertule-
rit, 1. Pet. 2. Quod Christus sit agnus DEI, qui tollit peccata mundi, Jo-
han. 1, 39. Quod sit Pastor bonus, qui dedit animam suam pro ovibus,
Johan. 10, 11.

X.

Etsi verò nos quoad literam etiam urgemus, & rectissime urgemus jam recitata, & alia cum plura similia oracula sacra, tamen nobis ipsi adversarij Ariani hodierni seu Photiniani regerunt, nequaquam nos, sed ipsos istorum oraculorum sacrorum sensum genuinum ex linguarum Spiritus sancti ipsius proprietatibus, & ex contextibus seu antecedentium & consequentium concatenatis, & cohærentibus sermonibus dependentem, solos agnoscere, proponere & firmiter retinere credereq;

XI.

Ut igitur ex imis fundaminibus res omnis ista cuivis ad dijudicandum evadat facilima, & ut appareat, cur adversarij gloriantur, se solos habere oraculorum jam indicatorum genuinum, & maxime proprium sensum, item an rectè gloriari queant, penes ipsos esse Scripturarum istarum sacrarum mentem & sententiam veram, paulò altius & accuratius primo omnium, quod dixi expendenda venit ipsorum adversariorum HYPOTHESIS quædam, quæ ex ipsorum arbitrio admodum INSIGNIS, FIRMA & IRREFUTABILIS censetur.

XII.

Quænam sit illa Ariarum HYPOTHESIS, ad quam postea sacrorum Testimoniorum superius allegatorum sensum distorquent, ex formalibus, ut vulgò loquuntur, seu proprijs ipsorum verbis unusquislibet colligere poterit quàm expeditissime.

XIII.

Ad hunc igitur modum scribit recentissimorum Ariarum seu Photinianorum Patriarcha, ex quo omnia reliqui desu-

Hypothesis Ariarum recentium, cui superstrunt suam heresim contra satisfactionem Christi pro peccatis mundi in cruce peractam. munt, quem in omnibus placitis admirantur & sequuntur, Faustus Socinus Senensis in prælectionibus suis Theologicis Racovix excusis, Anno 1609. & Academiae Heidelbergensi dedicatis, capite decimo, numero octavo: *Ceterum, quia certum est, Deum ante mundum conditum de mittendo Christo decrevisse, ne quis ex eo hominum peccata prævisa fuisset colligat: Sciendum est, Christum quidem, postquam homines peccaverant, ad ipsorum peccata delenda venisse, SED VENTURUM TAMEN FUISSE, ETIAMSI HOMINES NON PECCASSENT. Venturius enim erat, ad* immor-



immortalitatem nobis dandam, qua ut supra visum est, ab ipso creationis initio primus homo caruit, quae immortalitas, cum peccatorum metu, aut ipsis peccatis consistere nullo modo potest. Propterea merito dicitur, Filium DEI apparuisse, ut dissolveret opera diaboli, id est, peccatorum metum, ipsaq; peccata tolleret. Haec tenus verba Fausti Socini Senensis Itali.

XIV.

Adjicienda autem sunt paucissima verba ex eodem libro ejusdem Fausti Socini Senensis, ut intelligatur, quid sibi velint haec, UT SUPRA VISUM EST. Sic ergo idem Faustus Socinus scribit capite primo pralectionum Theologicarum: Primus homo etiam ante lapsum naturam mortalis. Item paulo post: Cum scriptum est à Paulo, per peccatum mortem ingressam esse in mundum, intelligi potest ex praedictis, non de NATURALI MORTALITATE eum loqui, sed de ipsa morte, ut verba sonant, DEQUE MORIENDI NECESSITATE. Haec ibi.

XV.

Et è vestigio plenius haec explicans haec adjicit: Poterat Adamus, si non peccasset, quamvis naturam mortalis, à morte, Dei beneficio conservari, vel si mortuus fuisset, in vitam aliquando revocari atq; immortalis fieri. Haec & sibi & posteris suis peccato suo quodammodo invidit. Itaq; nisi NOVUS DEI FAVOR adsit, NECESSE est omnino, ut omnes moriamur, & in ipsa morte maneamus. Neq; enim is aut necessario aut unice moritur, qui aliquando in vitam revocandus est, sed dormit potius ac quiescit. Peccatum igitur non mortalitatis naturalis, sed necessariae mortis causa fuit. Haec iterum Fausti Socini Senensis fuerunt verba ipsa.

XVI.

Addo, quae iterum Faustus Socinus scribit in iisdem pralectionibus suis Theologicis capite decimo quinto: Quae supra à nobis disputata sunt, eò pertinent, ut qualis homo & ante lapsum & post lapsum fuerit, cognoscamus. Conclufum est autem, eum in utroq; statu mortalem naturam fuisse, nec utriusq; status hac in parte aliam differentiam esse, nisi quod in posteriore statu, id quod in priore naturale tantum erat, necessarium quoq; est factum. Haec ille.

XVII.

Eximox illicoq; ibidem tractaturus justificationis nostrae
per

per Christum Prolegomena quædam, eamq; explicandi initium. hæc sequentia scribit optimè expendentia: Nunc quâ ratione fiat, ut homo ab ista moriendi necessitate ab ipsaq; mortalitate liberetur, (huc enim omnes tendimus atq; aspiramus) & nunquid DEVS, cuius solius beneficio id nobis contingere potest, si id assequi velimus, NOBIS ALIQUID PRÆCEPIT & QUALE ID TANDEM SIT, quod præcepit, videndum & explicandum nobis est. Hæc iterum ille.

XII.

Pergere autem me oportet, & propriis ejusdem Fausti Socini verbis necessariò evincere vel demonstrare potius, quamnam Photiniani hypothese suæ superius prolatae superædificare contendant. Sic igitur itidem Socinus ille scribit capite eodem proxime allegato: Cum certum sit, DEVM peccato necessariae mortis pœnam statuisse, unde sententia illa Apostoli, per peccatum mors & stipendia peccati mors, credendum omninò est, nolle DEVM, à necessaria morte eum liberare, qui coram ipso sine peccato non sit, &c. Item: ejusmodi enim hominem ipsi placere non posse, prædicta pœna, quam peccato constituit, docere potest. Hæc ibi.

XIX.

Iterum exemplo idem: Iam verò duplici ratione fit, vel potius fieri potest, ut quis coram DEO sine peccato inveniatur, vel quia revera nunquam peccaverit, vel quia si quid unquam peccavit, id apud ipsum DEVM deletum fuerit, ita ut DEVS, sive HAC, sive ILLA ratione justum eum pronunciaturus sit, & pro justo habiturus. Atq; hoc illud est, quod S. literæ justificare nominant. Hæc ille.

XX.

Audi plura benevole lector. Sic iterum autor sæpiùs nominatus in eodem Libro & Capite post pauca interjecta: Cum autem nemo inveniatur, qui non peccet, & nos omnes præsertim peccatum habeamus, id est, peccati rei simus, reliquum est, ut DEVS nos justificet, quia peccata nostra coram ipsa DELETA fuerint, cum nos justos pronunciet. Hæc iste.

XXI.

Amplius sic pergit iste: Porro deleri posse peccata videntur aliter utro ex duobus modis, vel compensatione, seu satisfactione vel remissione ac condonatione. Videndum igitur est, utro modo peccata
nostra

nostra coram DEO deleantur, cum de immortalitate ejus beneficio consequenda agitur, hoc est, quæ ratio, quod ad hanc partem attinet, nostræ Justificationis per Christum sit? Per Christum enim nobis, non per alium, neq; alio modo, immortalitatem & vitam æternam promittit DEVS. Et post pauca; Pleriq; satisfactione interveniente id fieri arbitrantur, nos verò simplici condonatione. Hæc omnia Faustus Socinus, qui jam illico rationes excogitat, cur ita statuat, nimirum 1. Quasi nusquam istius satisfactionis in sacris literis fiat mentio, nec alterius rei cujusquam quæ tantundem valeat. 2. Quod compluribus in locis satis apertè testentur sacræ literæ; nullam in Justificatione nostra per Christum satisfactionem intervenisse. 3. Quasi satisfactio ista Dei gloriam maximè obscurer, & Christi potestatem labefacter. 4. Quod fieri nullo modo possit, ut salvis nobis pro peccatis nostris DEO satisfactum fuerit, ne per ipsum Christum quidem.

XXII.

Hinc procedit ad alia adversarius iste, & oraculis divinis superius allegatis prorsus alium ascribit sensum, nimirum à Christo nos hoc sensu redemptos esse, quo sensu Moyses Scriptura introducit redemptorem seu liberatorem populi Judaici, Act. 7. 35. Qui tamen nullum precium solverit, Item, hoc sensu Christum dedisse animam suam precium redemptionis pro multis, quo sensu nos jubemus animam nostram ponere pro fratribus, Iohan. 15, 13. 1. Iohan. 3, 16. Aut quo sensu Paulus gaudet in Passionibus suis pro Colossensibus, & complet quæ deerant afflictionum Christi pro corpore ejus, quod est Ecclesia, Coloss. 1, 24. Nimirum sicut hærente innocente fratre inter odia Magnatum, & inter pericula laturus verbis & factis auxilium, alter frater sæpenumero incidit ipse in odia potentū, & in pericula corporis & vitæ, ita ex ipsorum sententia Christus, ut per prædicationē suam ex spiritali peccatorum servitute, & hanc secutura æterna morte nos liberaret, nihil omnino prætermisit, sed urgente necessitate, & frementibus hostibus occasionaliter propter nos, & pro nobis in viam rectam adducendis animam suam perdidit, ideoq; hoc modo nos liberavit.

XXIII.

Propria verba Socini cap. 20. in libro multoties allegato

B

sunt

sunt hæc: Mori propter peccata seu pro peccatis alicujus, ut verba ipsa sonant, idem est, ac mori causâ vel occasione peccatorum illius: Atque sine dubio is peccatorum alicujus causa vel occasione moritur, qui idem moritur, ut quis à peccatis retrahatur, ut illi fides fiat, si à peccando cesserit, peccata sibi condonatum iri, ac propterea, ut is condonationem hanc reipsa consequatur. Et post paucissima: Ut aliquantò diligentius hac de re agamus, ubi nam rogo dictio propter ejusmodi significationem habere apprehenditur, ut cum dicitur, propter peccata, intelligendum sit AD SATISFACIENDUM PRO PECCATIS. Certe eadem ipsa locutio propter peccata frequens admodum est in sacris literis, nec tamen USQVAM (quod credam) satisfactionem pro peccatis significat. Hæc ille.

XXIV.

Et paulò post: Sed dicet fortasse quispiam dictionem PRO in locis illis, ubi Christus mortuus & passus pro nobis fuisse dicitur, nihil aliud significare, quàm vice seu loco, ut idem sit Christum pro nobis passum & mortuum esse, quam Christum eas perpeffiones eamq; mortem sustinuisse, quas nos sustinere debebamus, ejusq; perpeffiones ac mortem loco perpeffionum ac mortis peccatis nostris debitarum substitutas esse. Hanc Particula PRO in locis predictis significationem, quàm alibi ei convenire posse non negamus, vel illud dissuadere potest, quod ut vidimus scriptum est, Christum pro peccatis nostris mortuum esse, quod certe significare non potest, Christum loco peccatorum nostrorum mortuum esse. Hæc ille.

XXV.

De Sacrificiis V. Testamenti, undè primò omnium validissimè stabilietur plena in cruce peracta satisfactio Christi pro peccatis totius mundi, adjicit ca. 22. Cum constituisset DEVS, ut populus Israeliticus liberalitatem suam non antè experiretur, quàm sacrificia quædam sibi obtulisset, merito ijs sacrificiis offerendis, populus ille peccata illa sua expiare dici poterat, quamvis n ulla prorsus ratione pro peccatis suis satisfaceret. Atq; hac eadem de causa ipsis sacrificiis, quod peccata expiarent, sine ulla satisfaciendi significatione tribui potuit. Hæc ille.

XXVI.

Item cap. 17. Cum igitur certum sit, antiquum illum Pontificem non ea ratione populi peccata expiâsse, quod pro illis satisfaceret, sed quòd ea faceret, quibus peractis ex divina benignitate expiatio ante promissa

missa consequeretur, vel etiam quod expiationem prædicto modo consecutam esse declaret, & pronunciaret, certum quoque esse debet, Christum non iccirco nostra peccata expiasset, quod pro illis divina justitiæ satisfecerit, sed quod ea effecerit, quibus per actus peccatorum nostrorum expiatio antea nobis divina benignitate promissa, consecuta re ipsa fuerit, vel etiam quod nos eadem benignitate divinâ jam expiatis esse, pronunciaverit & declaraverit. Hæc iterum.

XXVII.

Cap. 22. disputat sacrificia vetera non fuisse oblara pro omnibus & quibusvis peccatis, sed tantum pro levissimis. ut nimirum sacrificia penitus evacuet, & Christi merito per consequens omnem vim eò tutius abrogare queat. Sic ergò inquit: Per sacrificia illa expiabantur peccata, non quidem omnia, sed ea, pro quibus offerebantur. Offerebantur vel pro peccatis per ignorantiam admissis, vel per incogitantiam, & humanam quandam, eamque frequentem fragilitatem. Hæc tenus ille.

XXVIII.

Item cap. 26. sic quærit. Sed dicat aliquis, nunquid ante Christi adventum graviora peccata non expiabantur? Expiabantur quidem, idque NON RARO, Verum non ratione aliqua in ipsa lege, ipsoque antiquo fœdere OMNIBUS IN PERPETUUM proposito, sed DEI gratia & benignitate, cujus identidem populus admonebatur, & cujus complura manifesta argumenta atque specimina ab ipso orbe condito unusquisque animadvertisse poterat. At verò per Christum universali ac perpetuo fœdere omnibus pœnitentiam ex ipsius Christi præscripto agentibus, quorumcumque delictorum etiam gravissimorum veniam obtulit. Hæc iterum ille.

XXIX.

Sed ne quid lectori desit ad dijudicandos hodiernos Photinianos, complementum est integrè adjiciendum. Sic igitur in eodem capite: nec verò objiciat quispiam sub V. Testamento ijs qui recens ad Dei populum aggregabantur, quiq; circumcidebantur, quæcumque gravia antecedentia scelera (ut quidem verisimile est, & nos facile concedimus) condonata fuisse, non minus quàm sub Novo Testamento ijs, qui recens Christo nomen dabant, eaque ratione ad ejus Ecclesiam aggregabantur.

B 2

Nam

Nam in eo adhuc ingens inter utrumq; fœdus differentia est, quod qui sub priore nascebantur, si grave aliquod delictū admisissent, statim puniebantur, nec ad pœnam evitandam aliquid (quod ad ipsum fœdus & legem attinet) pœnitentia proderat, sed qui sub posteriore nascantur, id est, ab ipsis, incunabulis Christum tanquam Servatorem suum in ore habent, in quacumq; licet gravissima delicta inciderint, si pœnitentiam agant, ab omnium reatu liberantur. Hæcenus ille.

XXVIII.

Sed qualem spem peccantibus sub Novo Testamento & quam pœnitentiæ ideam concedant, optime lector, cognosce ex locis sequentibus itidem. Nimirum sæpius lapsis aut denegant, aut difficillimè dubitantissimeq; veniam concedere videntur. Sic igitur Glirius de justificatione, auctor Photinianus: *Quamquam interdum veniam offerat; tamen id non facit semper, sed contentum bonitatis suæ horribiliter ulciscitur, adeo ut cum lachrimis quæsitæ pœnitentiæ nusquam reperiatur.* Hebr. 12, 17. *Nec diu & multum pulsantibus fatuis virginibus aperitur.* Matth. 25, 12. Hæc ille.

XXIX.

Item, Sommerus in tractatu de Justificatione: *Exempla remissorum interdum peccatorum non constituunt regulam, quod DEVS semper debeat aut velit remittere.* Item, *Omnes homines fatentur se peccatores esse, verum est de ignorantibus & levioribus erratis, pro quibus orant: Remitte nobis debita nostra: sed cum novissima peiora sunt facta prioribus nullam lego promissionem, sed illud, cum multiplicaveritis clamorem vestram, non exaudiam, quia manus vestre plene sunt sanguine, excepto tempore gratiæ, quod QUOTIDIANUM non est.* Hæc iste.

XXX.

Iterum Glirius: *Est igitur sententia Iohannis talis 1. Iohan. 1, 8. Si dixerimus (nos qui mortui in peccatis per Christum justificati sumus, tum ex Iudæis, tum ex gentibus) quod peccatum non habemus, aut quod non peccavimus (hæcenus scilicet, nam loquitur de præterito) ipsi nos seducimus, & non est in nobis veritas, si autem confiteamur (nunc) peccata nostra, fidelis & justus est DEVS, ut remittat nobis. 1. Iohan. 2, 1. Hæc scribo vobis filioli, ut non peccetis (posthac) & si quis peccavit (hæcenus) aut peccatum super se habuerit, habemus (nunc) advocatum apud Patrem.* Hæc ibidem ille.

3r. Idem

XXXI.

Idem ibidem è vestigio : Ita tota sententia aliud non vult, quàm praterita peccata esse ipsis condonata per Christi mortem, in posterum requiri, ut non peccent. Hæc omnia iste.

XXXII.

Et si verò Faustus Socinus Catharos rejicit in suis scriptis, tamen qui legent ipsum in libro de Servatore, item in tractatu super 7. cap. ad Romanos, deprehendent, eandem ejus esse doctrinam. Lib. I. c. 4. docet, nos Christum imitari posse, hancq; esse æternæ salutis viam. Leves fragilitates in altero tractatu remitti concedit, graves non item, sed graves omnes errores & lapsus unanimiter isti constituunt peccatum ad mortem, & dicunt mori in peccatis suis (scil. in æternum) quotquot propter flagitia tolluntur. 1. vel morte cruenta, 2. immatura. 3. alio aliquo modo, ut quos terra absorbet, ignis egressus à Domino devorat.

XXXIII.

Quam enim vitam æternam (inquit Sommerus in refutatione scripti seniorum fol. 69.) Promittimus ijs, quos DEVS iratus ob scelera perdit? Item: Ego nusquam legi, pœnas instigi, quæ non sint ira & damnationis æternæ testimonia. nisi DEVS misericordiam exercere velit, & remittere peccata, ac vitam ipsis conservare, pœnas dico, ne putetis, me de sanctorum afflictionibus loqui, quæ non sunt ira, sed favoris fidei signa. Eis verò, qui perduntur & occiduntur, ab irato DEO, nusquam lego esse remissa peccata, quia mors ejusmodi in maledictionem proponitur, nusquam in benedictionem. Hæc omnia Ioha. Sommerus Pirnensis anticirnicarius.

XXXIV.

Idem fol. 75. Remissionem peccatorum, & annunciationem gratiæ quotidianam esse nusquam memini me legere, ideoq; postulo sententiæ hujus testimonium ex sacris literis, quod DEVS etiamsi cras ad mortem veniat peccare aliquis, tamen remissurus sit, nam pauca ejus rei exempla non constituunt regulam, quod DEVS velit semper id facere. Hæc idem.

XXXV.

In iisdem fol. 46. Nec usquam legitur dixisse, etiamsi sepè peccabitis, ut omnes sumus corrupti natura, DEVS tamen per Christum semper vobis remittet. Et: nec usquam legimus DEVM sic loqui, nunc remitto tibi homicidium, si cras alteram eadem feceris, remittam quoq;

XXXVI.

Sommerus iterum fol. 75. Ergone desperandum mihi est, dicit aliquis? nequaquam, sed cogitet quisq; hoc ipso momento, dici sibi, Desiste à malo & fac bonum, & agat pœnitentiam quàm celerrimè ne ira DEI ipsum adprehendat. Hæc itidem scripsit Sommerus.

XXXVII.

Ex his paulò fufius allegatis verbis propriis aduersariorum *Sententia licet unicuiuis citra difficultatem animo complecti totum ipso- aduersario- rum dogma, de morte Domini nostri Iesu Christi, idq; in hunc rum Photi modum. 1. Deus creavit homines mortales, & mortui fuissent cor- nianorum porali morte homines, etiamsi Adam nunquam peccasset, sed de morte perstiteret in conditione innocentiae suæ. 2. Etiamsi homi- Christi. nes nunquam peccassent, sed perpetuò florissent in statu innocentiae primæ; tamen Deus misisset Messiam, qui annunciaret ipsis, restare aliam æternam vitam, & qui mortuos in statu innocen- tiæ tandem circa ultimam diem ex mortis corporalis ratione ex- suscitasset, & in æternam vitam introduxisset. Hæc ita sese ha- buissent secundum illos, si Adam nunquam fuisset lapsus.*

XXXIX.

Audiamus verò, quid secundum eorundem sententiam credendum sit, postquam homo non perstitit in statu innocen- tiæ, nimirum 1. homines, qui ante lapsum mortales erant naturæ con- ditione, jam moriuntur moriendi necessitate, vel mors antea ipsis erat naturæ conditio, nunc ipsis facta est pœnæ necessitas. 2. Mes- sias, qui stante conditione integritatis, tamen venturus erat, nunc multò magis debuit venire, tum ut annunciarer æternam vitam, tum ut à peccatis per prædicationem homines averterer, sicque eos ex morte ad vitam converteret & perduceret. 3. Interim dum pœnitentiam Messias graviter prædicat, & officio suo fide- liter fungitur, in tantas incidit calamitates, & in mortem con- tumeliosissimam. 4. Pater cœlestis eò magis indulgit hostibus Christi, sed tamen passum gloriosè revocavit in vitam, ut disce- remus, nos inter calamitates quantumvis acerrimas tamen eo- dem modo constantiam exercere, & per talem constantiam in- troire in regnum cœlorum. 5. Vocati ad agnitionem Christi illicò debent sibi cavere à gravibus lapsibus, nam qui gravia pec- cata committunt, quiq; ob gravia deprehensi interficiuntur, vel à car-

à carni fice vel aliis modis, illi simpliciter & in aeternum damnantur.

XXXIX.

Postquam opiniones adversariorum Photinianorum ordine recensui, & lectori sub oculos Methodicè proposui, jam omnino futura est tantorum commentorum & blasphemiarum horribilium refutatio facilior, quam statim brevi compendio itidem lectoribus demonstro, siquidem *Messias nullus venisset in mundum, nisi Adam de statu integritatis deturbatus secum contaminasset, & perdidisset totum genus humanum, deinde si sacrificia, quod evinceretur, habuerunt vim suo modo expiandi hominem peccatorem, & suere typi passuri Christi, utiq; multò magis sanguine Domini nostri Iesu Christi præsertim passi & crucifixi expiata sunt peccata totius generis humani.*

XI.

Quod ad primum attinet, nullo oraculo sacro probatum dare poterunt adversarij nostri, Messiam venturum fuisse, et si Adam nunquam lapsus fuisset.

XLI.

Faustus Socinus in libro de statu primi hominis adversus Franciscum Puccium videtur hanc hypothese[m] potissimum stabilire velle alia quapiam inconcessa hypothese, quod homines in statu innocentie mortales creati fuerint, ideoq; opus habuerint doctore & datore immortalitatis.

An Messias venturus fuisset, si Adam lapsus non esset.

XLII.

Audet etiam idem Socinus pro se allegare Apostolum ex Rom. 5. & 1. Cor. 15. & contendit, Christum in illis locis tanquam auctorem resurrectionis & vitæ immortalis cum Adamo tanquam auctore mortalis vitæ, & mortis naturalis comparari, nulla habita ratione nec delicti Adami, nec obedientie ipsius Christi.

XLIII.

Verum enimvero in veteri & novo Testamento sacri aphorismi plurimi unanimiter testantur, venisse Christum tantummodo propter lapsum secutum, & propter homines in lapsu damnatos, & propter nos damnatos, salvandos.

XLIV.

Promittitur etiam non in statu innocentie, sed in statu corruptionis post lapsum, Gen. 3. 15. Inimicitias ponam inter te & miferent, inter semen tuum & semen illius, ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.

Huc

XLV.

Huc illud Ephes. 1, 4. 5. Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui predestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositam voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

XLVI.

1. Tim. 1, 15. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, 2. Tim. 1, 5. Gratia est data nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit mortem, illuminavit vitam &c. Matth. 20, 28. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

XLVII.

Cum igitur de Messia venturo, etiamsi in statu integritatis perseverasset Adamus cum omni sua posteritate, nullū omnino extet oraculum sacrum, nec ex ullo oraculo sacro per facilem & compendiosam consequentiam illud derivari queat, invictum pro satisfactione Domini nostri Iesu Christi argumentum procedit illud: Aut venire debuit Messias etiam in statu innocentiae, ut annuntiaret immortalitatem aeternae vitae, & doceret se omnes ex morte corporali in aeternam vitam adducturum, aut venire non debuit nisi propter secutum statum corruptionis, ut in illo hominibus auxilium ferret. Prius illud asseri ex scripturis nullo jure potest. E. Hoc rigidissime & tenacissime posterius venit credendum.

XLIX.

Ergo si non venire debuit Christus in statu integritatis, tum quia postea venit, & post adventum suum passus est, utique nequaquam occasionaliter vel casualiter passus est, sed ut scriptura testatur ad hoc ipsum venit, ut pateretur & daret animam ἀντὶ τῶν ἁνθρώπων pro hominibus. Immo potuisset Christus occasionalem & casualem suam passionem declinare, impetratis pluribus quam duodecim legionibus angelorum, Matth. 26, 53. Et hoc pacto cadunt omnes argutiae Arianorum, quasi (Christum pati pro nobis.) Sit idem atque (pati causa veritatis predicata, quam hostes ferre non potuerint.)

49. Sed

XLIX.

Sed quod postea quando in statu corruptionis promittitur & exhibetur, atq; patitur Christus, *occasionaliter* passus non fuerit, quod volunt Ariani, sed ad hoc ipsum promissum sese obtulerit, ut nimirum pro nobis pariendo satisfaciat divinæ justitiæ rigori, evidentius monstrandum est.

L.

Patebit omninò illud ad oculum, cum primis ex sacrificiis institutis, statim post introductum corruptionis statum, duranti-
busq; non amplius nisi usq; ad sacrificium magnum à Christo pro peccatis totius humani generis peractum in ligno, 1. Pet. 2, 24.

LI.

Esse hoc à sacrificiis ductum argumentum pro parte nostra solidissimum, agnoscunt adversarij ipsi: Sic enim scribit Socinus in libro de Salvatore parte 2. c. 9. & primò titulum istius capiti fecit hunc: *In primis adversarij verbis quatuor errata indicantur, & interim quedam explicantur, quæ ad totam hanc de Christi mortis cū legalibus sacrificijs collatione tractationem, viam quodammodo sternere possint.* Hactenus verba tituli: Post hæc subjicit Socinus ea, quæ nunc sequuntur: *De ultimo igitur testimoniorum tuorum capite, IN QUO MAIOR VIS ESSE VIDETUR, jam Deo annuente differere aggrediamur.* Hactenus verba Socini.

De Sacrificiis quod fuerint typè

LII.

Cum igitur ex propria confessione adversarij acerrimi argumentum pro merito & satisfactione Domini nostri Iesu Christi à sacrificijs prorsus specialius acceptis desumptum, sit maximæ fortitudinis, de eo paulò ac curatius videndum veniet.

LIII.

Sacrificia intelligimus actus ceremoniales, ubi intervenientibus terrenis rebus, per certos ritus ad Dei mandatum oblatis suo modo expiantur peccata hominum.

LIV.

Nimirum *vel* frugum maturescentium granula, *vel* farinas easq; aut subtiliter commolitas, aut igne coctas, sive in furno, sive in patina, sive in fruxorio, cum sale, thure, oleo addito, citramel & fermentum, in mincham zum Speisopffer / *vel* etiam vinum zum Trandopffer / offerabant.

ss. Deim.



L V.

Deinde aut bovem, aut vitulum, aut ovem, aut agnum, aut capram, aut rurem, aut columbam offerebant. Ex ijs quaedam integrè comburebantur in holocaustum Brandopffer / quaedam ex parte comburebantur pro peccato aut delicto Sündopffer oder Schuldopffer / reliquæ eorum partes cedebant alimento sacerdotum, quaedam deniq; ex una parte comburebantur, ut pacifica, Dandopffer / secunda pars eorum cedebat sacerdotibus, tertia ipsis offerentibus, comedenda in loco sacro.

L V I.

Verè autem initiò magnam admirationem in animis nostris parere debet illud, quod cruenti sanguinis sparsiones, & ciborum & carnum combustarum nidor vel odor dicitur fuisse acceptus & gratus in naribus & oculis Domini, cum tamen in naribus & oculis hominum præbeat abominationem & molestiam, & propè impuritatem.

L V I I.

Ex qua ipsa circumstantia in considerationem penitiorè deducta jam modo clucescere poterit, non singularis tantum exercitiij causa, istos ritus populo Israëlítico fuisse divinitus id eo præscriptos, ut per hæc nuda exercitia ipsum alioquin ad idololatricam plus satis impensum & inclinatum, à falsorum deorum sacrificijs & ritibus avocaret Deus, non in usum & esum proprium, sicut aliqui hodierni Iudæi pueriliter ineptiunt, quasi existimaverit Adam ex simplicitate, Deum etiam esculentis opus habere.

L I I X.

Sed patet ex illa consideratione, fuisse sacrificia typos cruentæ mactationis & horrendi supplicij, quod Christus in cruce pro nobis omnibus tolleravit & Patri suo præstitit, quod coram oculis hominum abominabile existimabatur, sed in censu maximo est apud Deum.

L I X.

Hic verò methodus quaedam iterum servanda venit, ut nimirum doceatur, quòd hæc singula expiarint hominem suo modo, & quòd

& quod principale membrum est, quòd hæc à veteribus ipsis
Messianis seu Christianis habiti fuerint pro typis istius sacrificij,
quòd in cruce pro peccatis totius generis humani ab ipso pera-
tum esse crediderunt, & credunt Ecclesie nostræ.

L X.

Quod igitur sacrificia dapalia seu cibaria cum suis odoramentis ex-
piarint hominem, in promptu sunt probationes. Sic igitur extat de *Quod sacri-*
cibariis seu dapalibus in Levit c. 2. 1. & 2. Anima cum obtulerit oblationē sa- *ficia expia-*
crificij Domino, simila erit ejus oblatio, fundetq; super eam oleum, & ponet *rint.*
thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotis, quorum unus tollet pugillum plenū
simile & olei, ac totum thus et ponet memoriale super altare in odorem sua-
visimum Domino. In Pagnino ex fontibus habetur in hunc mo-
dum, *adolebit sacerdos odorem ejus super altare, OBLATIO IGNI-*
T A E S T O D O R I S Q U I E T I S I E H O V A. Lutherus, *Der Prie-*
ster sols anzünden zum Gedechtnuß auff dem Altar / das ist ein
Sewer zum süßen Geruch.

L X I.

Similiter de secunda specie habetur. Primum enim tres
modi recensentur his verbis : 1. *Cum obtuleris oblationem minha*
coctionem clibani è simila placenta infermentata (erunt) mista oleo, &
lagano infermentata oleo. 2. *Si vero minha tua fuerit oblatio de sartagine*
simila conspersa oleo, infermentata erit, divides eam minutatim & fundes
super eam oleum, minha est, Lutherus so istis ein Speisopffer. 3. *Si*
minha craticula oblatio tua, simila consperso oleo fiet.

L X I I.

De his tribus speciebus tandem concludit hoc pacto. *Affe-*
res minham que fiet ex ijs Iehova, & trades sacerdoti qui offeret altari, qui
eam obtulerit eam tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare
in odorem suavitatis domino, pro quo alij vertunt, oblatio est igni-
ta odoris quietis Iehova.

L X I I I.

Idem habetur de 3. specie in eodem capite : *Si obtuleris*
minham vel murus primitiarum Iehova, spicas tostas igne contundes, & sic
offeres primitias tuas domino, fundens super ea oleum & thus imponens,
minha est, & adolebit sacerdos odorem ejus de frumento ejus contuso, & de
oleo ejus ultra totum thus, oblatio est ignita Iehova, vel ignis est
Iehova.

LXIV.

Constat ex hisce jam adductis satis superq; , quod minha (Lutherus Speißopffer) farinae crudae, juxta ritus divinitus praescriptos, combusta fuerit *memoriale* seu odor super altare, & odor *suavissimus* Domino, 2. quod minha seu dapale, seu cibarium sacrificium ex farina cocta, etiam fuerit *memoriale* & odor suavitatis domino, vel oblatio ignita odoris quietis Jehovae. 3. quod minha ex granulis spicarum etiam fuerit oblatio ignita Jehovae, seu ignis Iehovae.

LXV.

Videamus etiam de *libamentis* seu *libaminibus*, Lutherus Trancopffer. Levit. 23, 10. 11. 12. Cum ingressi fueritis terram, & messueritis segetem, facietis manipulos spicarum primitias messis vestrae ad sacerdotem, atq; in eodem die quo manipulus consecratur, cadetur agnus aagnus anniculus immaculatus in holocaustum domini & minha offeretur, cum eo duae decimae simila permixta oleo in incensum domini, odoremq; *suavissimum*, liba quoq; vini quarta pars.

LXVI.

Levit. 23, 15. 16. 17. numerabitis quinquaginta dies, & offeretis sacrificium seu minham novam Domino, ex omnibus habitaculis vestris, offeretisq; cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum & duos arietes & erunt in holocaustum, minham & libamen, in odorem *suavissimum* Domino.

LXVII.

Num. 15, 4. 5. 6. Offeret quicumq; obtulerit minham simila decimam partem Ephae conspersam oleo, quod mensuram habebit quartam partem Hin, & vinum ad liba ejusdem mensurae dabit in holocaustum, per agnos singulos & arietes erit sacrificium simila duarum decimarum, quae conspersa sit oleo tertiae partis Hin. Vini pro libamine tertiam partem Hin offeres in odorem quietis Iehovae. Hoc iterum repetitur v. 10. Lutherus, So soltu zu dem Kindt ein Speißopffer thun/ drey Zehenden Semmelmeels gemenget mit Del / ein halben Hin/ vnd Wein zum Trancopffer / auch ein halb Hin/ das ist ein Opffer dem HErrn zum süßen Geruch. Confer quae extant, Num. 28, 8. & 29, 6, 37.

LXIIIX.

Quod

Quod ad reliqua attinet sacrificia v. c. ad turtures & columbas, clarissimum habemus textum Levit. 1, 14. Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit domino, de turturibus & pullis columba offeret eam sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite ac rupto vulneris loco decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris, vesiculam vero gutturis & plumas projiciet ad altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, confringetque ascillas ejus & non secabit, neque ferro dividet eum, & adolebit super altare lignis igne supposito, holocaustum est, & oblatio suavissimi odoris domino.

LXIX.

De capris & agnis extat etiam oraculum divinum clarissimum Levit. 1, 10. Si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum anniculum & absque macula offeret, immolabitque ad latus altaris, quod respicit aquilonem coram Domino, sanguinem vero illius fundant super altare filij Aaron per circuitum, dividantque membra, caput & omnia quae adherent jecori, & imponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis, intestina vero & partes lavabunt aqua, & oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum, & ODOREM SUAVISSIMUM DOMINO.

LXX.

De bobus vitulisque eadem habemus Levit. 1, 3. Si holocaustum fuerit oblatio ejus de bobus, masculum immaculatum offeret eum ad ostium tabernaculi testimonij ad placandum sibi Dominum, ponetque manum suam super caput hostiae & acceptabilis erit illi ad expiandum ipsum, vers. 9. adolebitque eam sacerdos super altare in holocaustum, & suavem odorem Domino.

LXXI.

Iam quod attinet ad holocausta, quod ea sint suavissimus odor Domino, seu oblatio ignita odoris quietis Iehovæ, ex thesi 68. & 69. satis constat, vide etiam Levit. 5. 18.

LXXII.

Propter sacrificium pro peccato Collegij seu communitatis etiam remitti peccata patet, Levit. 4. à vers. 13. usque ad 22. Si omnis turba filiorum Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi. & ponent seniores populi

¶ 3

manus

manus super caput ejus coram Domino, immolatoq; vitulo in conspectu Domini inferet sacerdos qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonij, tinctoq; digito adspersens septies contra cœlum, ponetq; de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonij, reliquum autem sanguinẽ fundet juxta basin altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonij, omnemq; eius adipem tollet, & adolebit super altare, sic facient de hoc vitulo. (cum pelle, fimo, carnibus comburendo) quomodo fecit & prius & ita expiabit eos sacerdos & remittetur eis. Ipsum autem vitulum afferet extra castra atq; comburet, sicut & priorem vitulum, quia est pro peccato multitudinis.

LXXIII.

Quod spectat ad sacrificium pro delicto sic vocitatum jungantur illa Levit. 6, 1. 2. 3. 4. 5. 6. & concludetur, oblationem pro delicto suo afferet arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti, qui rogabit pro eo coram Domino, & remittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit, vel juxta alias versiones expiabit eum sacerdos coram Iehova, & remittetur ei ab uno ex omnibus, quæ solet quis facere delinquendo in eo. Etc. 7. 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. de quo sacrificio pro delicto adolentur adens, omentum, mesenterium, renes, cauda, sed pectus, armus dexter & ventriculo cedunt sacerdoti.

LXXIV.

Sacrificium ita vocatum pacificum vel hostia pacificorum, dividebatur in tres partes, quorum una Deo comburebatur, altera cedebat sacerdotibus, tertia coquebatur in usum convivij sacri pro offerentibus ipsis expiatis. Vim tamen suam habuit expiandi. Habetur illud ad oculum, Levit. 3, 5. 11. 16. ult. dicitur oblatio suavissimi odoris Iehovæ, cibus vel pabulum oblationis ignitæ Iehovæ.

LXXV.

Alia loca prætermitto, in quibus eadem repetuntur, ut & illa, in quibus conjunguntur diversa sacrificia & conjunctis eadem vis tribuitur, Num. 18, 17. 18. Ezech. 45, 15. 16. 17.

LXXVI.

In primis verò sanguis cunctarum victimarum ex Dei institutione expiabat peccatorem, quemadmodum textus habetur clarissimus Levit 17, 10. 11. Homo quilibet de domo Israel. & de advenis qui peregrinantur inter illos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem me-

contra animam illius, & disperdam illam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, quia sanguis pro anima piaculo est, vel quia sanguis ipse animam expiat.

LXXVII.

Hinc (ut ex solenni anniversario patet) peccata hominum ponebantur super capita victimarum, & sic victima impurabatur, siquidem qui hircum immundatum in deserto abduxit, pro immundo proclamatur, Levit. 16, 26.

LXXVIII.

Porro qualem velit Deus intelligi expiationem, nemo nisi Deus ipse clarissimis his verbis mentem suam exposuit hanc: Nimirum propter peccata digni essent homines morte, sed ex gratia pro hominum vita seu anima accipit animam, vitam & sanguinem & satisfactionem pecorum à se deputatorum, ideoque istorum sanguinem severissime interdicit comedi, ut constet sanguini illud magnum sacratissimumque expiandi peccata hominum mysterium divinitus attributum.

LXXIX.

Ceterum verba Hebraea in his materijs adhibita etiam non leviter sunt inspicienda. Levit. 1. & 2. & passim sacrificia dicuntur oblatio ignita odoris quietis Iehovae, hoc est, odor gratus Iehovae, unde Iehova ex commoto fit quietus, ex irritato placatus, ex offenso reconciliatus.

LXXX.

Quod autem Levit. 139. Scriptura vocaverat oblationem ignitam odoris quietis Iehovae, seu suavem & gratum odorem Iehovae, illud in eodem capite loquens de uno eodemque sacrificio nominat etiam placabile seu acceptabile, seu gratum ad EXPIANDUM hominem, sed ad expiationem hominis. *קָדֹשׁ* Lecapher, à the-mate Caphar versu 4.

LXXXI.

Et si verò hæc vox ad varias accommodari solet causas & significat, *obtinere albedinem, regere forditatem*, tamen ex paucis cognatis exemplis, quæ sit genuina applicatio *קָדֹשׁ* Caphar, cum igne odoris quietis Iehovae, res expeditissima evadet.

12. Gen.

LXXXII.

Gen. 32, 20. Jacobus mittit Esauo fratri suo iracundissimo haec tenus & tantum non hosti jurato capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, arietes viginti, pullos decem, & servis, per quos haec munera mittit, praescribit certam verborum formulam, qua civiliter admodum ipsum Esauum alloqui debeant, nimirum his & non alijs civilitati aulicae hodiernae similibus phrasibus, *Ecce servus tuus Jacob.* (non vult ipsos dicere, ecce frater tuus Jacob, sed *ecce servus tuus Jacob.*) & addit, *PLACOB* faciem ejus munere hoc, quod ipsum antecedit & postea videbo faciem ejus, forsan suscipiet faciem meam.

LXXXIII.

Et hic in Hebraeo etiam Caphar, atq; res edredit, quasi diceret Jacobus, scio faciem Esau erga me esse torvam, limam, agitatam, commotam, irritam, istam faciem mutabo hisce muneribus, maximae subjectionis meae indicijs, in planam, rectam, placatam, quietam, tranquillam & pacificam.

LXXXIV.

Simile exemplum extat 2. Sam. 21, 3. ubi narratur, quod tempore Davidis contigerit maxima fames propter Gabaonitas, quibus filij Israel cum juramento pacem promiserant, sed Saul fracto jure jurando ipsos laeserat, & commotos reddiderat, unde vindictam amaris & commotis animis eos a Deo postulasse, quilibet subintelligit.

LXXXV.

Dicit ergo David ad Gabaonitas, *Quid faciam vobis, & in quo vos placabo vel expiabo,* ut (videlicet non amplius maledicatis, seu poenas vestris suspirijs attrahatis, & iram Dei acuatis, sed) benedicatis haereditati Domini.

LXXXVI.

Respondent Gabaonitae, non esse quaestionem super auro & argento, sed contra Saul & contra domum ejus, qui ipsos inique oppresserat, & petunt, ut dentur ipsis septem viri de filijs ejus. Postquam igitur dedit eis David septem viros, occiderunt eos incipiente messione hordei, & versu 14. tandem de hoc facto subjicitur, *Repropitiatus est DEVS terra posthac, seu PLACATUS est DEUS terra, seu exorabilis factus est terra.*

Exem-

LXXXVII.

Exemplum aliud pulchrum & conveniens extat Num. 35, 31. 32. *Non accipietis expiationem (Caphar) pro anima homicidæ, sed moriendo morietur, id est, non accipietis pretium quo satisfacere satagit homicida pro anima hominis à se interfecti. Non accipietis expiationem (pretium iterum à themate Caphar) ut fugiat ad urbem refugij sui, neq; terra expiabitur propter sanguinem qui effusus est in ea, nisi per sanguinem illius qui effudit illum.* Tribus vicibus usurpat Spiritus S. τὸ Caphar, & statuit satisfactionem pro fuso sanguine interfecti, non esse accipiendam aliam, nisi sanguinem homicidæ.

LXXXVIII.

Valdè conveniens est illud Proverb. 6, 35. de honesto marito, qui deprehenso adultero apud conjugem nequaquam parceret, *non accipiet faciem ullius expiationis seu redemptionis, seu pretij, seu satisfactionis (Caphar) neq; quiescet, etiamsi multiplicaverit munus, vel non respiciet personam ullius expiantis, redimentis, solventis, satisficientis, aut repropitiantis.*

LXXXIX.

Cum ergò in Levit. 1. cap. in uno & eodem sacrificio permulentur hæ phrasæ, *esse oblationem ignitam odoris quietis Iehove, & esse expiationem*, facile quis fundamentalius declarare poterit ex posteriore priorem.

XC.

Pro Caphar utitur Spiritus S. quandoq; alio vocabulo Hebræo Chatta. Undè sacrificia pro peccatis vocantur **חַטָּאת** Chattath. Osee 4, 8. Levit. 4. per totum: *Peccata populi mei comedunt*, id est, sacrificia pro peccatis populi, hoc est, particulas quas ex illis sacrificijs destinavi eis. Levit. 4, 33. *ponet manum suam super hostiam pro peccato, & mactabit oblationem pro peccato, ubi vis habetur Chattath.*

XCI.

Sic Levit. 16, 16. dicitur summus sacerdos, 1. emundare sanctuarium ab immunditijs filiorum Israël, & à prævaricationibus eorum, & cunctis peccatis eorum. 2. Sic quoq; facere tabernacula Ecclesiæ, quod moratur cum eis in medio immunditiarum eorum. Sanctuarium est sanctum sanctorum, tabernaculum Ecclesiæ est sanctum. Et de hoc sancto amplius additur v. 18. 19. *anguinem hirci & vituli fundat super cornua altaris, quod est coram Do-*

D

mino

omino per gyrum aspergensq; digito septies (expiet Tabar) expiet & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel.

XCII.

Hoc Exod. 30, 10. his verbis proponitur: Expiabit Aarons super cornua altaris semel in anno de sanguine אֲשֵׁרֵי peccati, id est, oblationis pro peccato expiationū, semel in anno expiabit super illud. Nimirum vocat sacrificium sanguinem peccati, seu sanguinem luentem & expiantem. Significatio vocabuli dilucidior elucescet ex Gen. 31, 39. Viginti annis, fui tecum, oves tuae & caprae tuae non abortiverunt arietes pecudum tuarum non comedi. Ex hac collatione liquet, sacrificia fuisse pro hominibus.

XCIII.

Extant alia exempla Gen. 43, 8. 9. Iuda dixit patri suo, mitte puerum meum, ut proficiscamur & possimus vivere, ne moriamur nos & parvuli nostri, nisi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Idem reperitur Gen. 44, 42. Hinc elici potest optimus sensus, quod sacrificia luant pro peccatis hominum, ita, sicuti cupiebat noxam filij si perderetur, toto vitae suae tempore luere, er wolt es auff sich nemen.

XCIV.

Hoc adhuc effolget illustrius, ex Levitici 4. capite, à versu 13. usq; ad 22. Quando enim peccatum commisit tota communitas aliqua, debet adducere, ut loquuntur fontes, *juvencum filium bovis* in sacrificium pro peccato, versu 20. atq; ita expiabit eos sacerdos, ET REMITTETUR EI.

XCV.

Similiter à versu 22, ad 27. quando princeps commisit peccatum, affert pro sacrificio peccati, hircum, & expiabit illum sacerdos à peccato ejus, ET REMITTETUR EI.

XCVI.

Ibidem à v. 27, ad finem: Si anima aliqua fecit peccatum, afferet oblationē suam, capellam, v. 30. atq; ita expiabit eum sacerdos à peccato suo, quod peccavit, & remittetur ei. Similia habentur cap. 5. Levitici, per totum caput. An hæc clarius à sacris scripturis exprimi potuissent?

XCVII.

Poterant alia vocabula considerari cognata: cujus generis habetur

habetur aliud Ezechielis 43, 20. 2. Samuel 24, Sed ista suffi-
ciant, ubi prius hoc tantum fuerit adjectum. 2. Samuel 24. Ubi
tempore pestis saevissimæ, jussu Prophetæ, David Rex, Patriar-
cha & Propheta ipse emit aream & boves, & ædificat altare Ie-
hovæ, postquã igitur obtulit holocausta & sacrificia pacificorum,
PLACATUS SEU PROPITIATUS est Iehova terræ, & cohi-
bita est plaga ab Israël. Sed de his cum labuntur alibi exempla.

XCIX.

Et huc usq; illud tantum modo breviter pro ratione insti- Quod Sa-
tuti nostri fuit adumbratum, quod sacrificia cuncta veteris testa- crificia ve-
menti expiârunt peccatorem apud Deum suo modo: Nunc demon- teris Te-
strandum venit, quod non in se, nec ex se, nec per se, nec propter stamen-
se, hunc analogum effectum habuerint, sed ex virtute aliena, ti expiâ-
propter sanguinem alium, propter meritum & satisfactionem. rint, non ex
Domini nostri Iesu Christi, certo tempore in cruce præstandam, se, sed quod
pro peccatis totius generis humani. fuerunt typi

XCIX.

Ex novi Instrumenti libris, totum hoc negociũ plus quàm Christi.
facilime expeditum præberi & demonstrari potest: & fiet illud
quoq; postea. Nunc, quia non tantum Iudæi hunc Articulum
cachinnis maximis excipiunt, verum etiam Ariani recentes, seu
Photiniani, in sensum toto cælo alienum, & ab Ecclesiarum no-
strarum Confessionibus Orthodoxis discrepantissimum detor-
quent, eiusdem ipsius fundamenta, ex solis Scripturis veteris Te-
stamenti, & ex Confessionibus Prophetarum, vetustissimorum
extruemus.

C.

In primis verò urgenda veniunt nobis tria insignia sacrorum
codicum capita, nimirum caput 3. Geneseos, caput 53. Esaiæ, & cap.
9. Danielis. His enim fundamentis ritè jactis, ex reliquâ omni
scriptura de jisdem sanctissimis rebus profluent feliciores & faci-
liores dissertationes.

CI.

Quod attinet ad cap. 3. Geneseos, si quis tantum modo de De loco
serpente corporeo, & de Eva colloquium istud accipiendum esse Gen. 3. 15
putaverit; is serpentem istum corporeum, non solum modo re-
liquis bestijs terræ constituet callidiorum & prudentiorum, sed
& ipso homine utroq; tunc temporis, quoad scientiam abstru-
sam, faciet superiores & excellentiores.

D 2

102. Quid



CII.

Quid enim hoc sibi vult, quod dicit serpens iste: *Etiamne dixit Deus, ex nulla arbore horti comedetis? non moriendo moriemini, sed novit DEVS, quod in die, quâ comedetis ex eâ aperientur oculi vestri, eritisq; sicut Dij, scientes bonum & malum.*

CIII.

Bestia utiq; qualiscunq;, Evam argumentis nullis potuisset persuadere, nisi hoc fecisset Diabolus. Sicut ergo essentia rationalis cujuscunq; ope & auxilio a sine Bileami loquitur verba, quæ tamen ipsa non intellexit: ita etiam Serpens per abusum Diaboli edidit verba persuasionis Diabolicæ, seu protulit ipsius Satanæ astutissimam deceptionem.

CIV.

Inter quos igitur antecessit colloquium maximè rationale, inter eos sine dubio constituuntur inimicitia in consequentibus. At in antecedentibus præmittitur colloquium utiq; planè nullum, nisi inter Satanam ex serpente loquentem, & inter Evam, à Satana per serpentis organa loquente compellatam. Ergo & consequentes principales gravissimæq; cum comminationes, tum promissiones, non extenduntur, nisi ad Satanam, hoc est, Antesignanum Diabolum, ex serpente generis humani primitias corrumpentem; & ad Evam: ut etiam ad semen seu societatem Antesignani istius Diaboli corrumpentis, & ad semen mulieris, ex cujus posteritate proditurum erat germen Davidis justum, tale videlicet, quod sufficeret contritioni capitis & regni serpentis antiqui, utiq; non nisi Deus & homo in una persona, ad quam tandem respicit Eva Gen. 4, 1.

CV.

Sic enim *seminis* notio, pro societate seu pro addictis usurpari consuevit, Esa. 53, 10. *videbit semen & prorogabit dies*. Sicut igitur Apocal. 12 sunt mulier, & ex semine mulieris custodientes mandata Domini, sicut item ibidem sunt Michaël & angeli ejus, sicut item Draco magnus & serpens ille, immò hic ipse, de quo nunc agimus, antiquus & angeli ejus: Ita hoc loco nominatur Antesignanus Diabolus per serpentem colloquens, & semen, seu tota societas, seu angeli seu addicti ipsius.

106. Quod

CVI.

Quod autem serpenti corporeo simul, in maiorem peccati abominationem pœna decernitur corporea, ut sit maledictus præ omni animali, & præ omni bestia agri; ut super ventrem suum gradatur, & pulverem comedat cunctis diebus vitæ suæ, illud ita sese habet, sicut Genes. 9, 5. Deus dicit, se etiam de manu cunctorum animalium requisiturum sanguinem humanum, Et sicut Exodi 21, 29. præcipit lapidari bovem, qui hominem occidit: sicut item Levit. 20, 16. præcipit, ut moriatur tum vir homo, tum jumentum seu brutum, si inter se coierunt.

CVII.

Ad locum Esaiæ 53. quod spectat, non potest totum hoc De loco
caput aliter exponi, quàm de ipso Messia, & nequaquam, quod Esaiæ 53.
volunt degeneres Abrahæ posteri, de ipso toto populo Iudaico:
siquidem nulla ratio est, quæ permittat dicere, quasi sint propter
gentes plagis affecti Iudæi, cum tam Iudæos propter propria pec-
cata flagellare solitus fuerat Dominus, quàm propter contume-
ham & nimiam tyrannidem, Israëlitis afflictis intentatam,
vindicare gentiles quoq; consueverat.

CIX.

In hoc igitur capite quid magis apertum, quàm quod verè
languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Ipse vulneratus
est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, livore ejus
sanati sumus. Posuit Dominus in eo omnium nostrum iniquitates: Oblatus
est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, & sicut agnus ad occisionem
ductus est, & quasi ovis coram tondente se obmutuit, & non aperuit os su-
um & Dominus voluit contere eum in infirmitate, quum posuit SACRI-
FICIUM PRO DELICTO anima ejus.

CIX.

Utiq; in hoc elegantissimo contextu Propheta Esaias, sicut
in alijs quoq; suis vaticinijs, abundantissimam Spiritus sancti
habuit revelationem. Sicut enim Iacobus Patriarcha, Gen. 49. Per
Spiritus sancti manifestationem in Spiritu prævidet, & ex præ-
visione Prophetica, potentissime ipsi oblata prædicit, quasi
coram, post aliquot secula plurima constitisset, & coram omnia
aspexisset: id quod ex primo versu capitis nominati non difficul-

D. 3

ter

er eruitur, quod in portu maris habitaturi sint, seu in Prophe-
tia illa fortissime impacta habitent Zabulonitæ, & terminus eo-
rum sit, usq; ad Sidonem: quod Isascharitæ requiem eligant,
& velint à peregrinationibus alieni esse; *Ita hic Propheta ex po-
tentissima immissa Spiritus sancti Prophetia & visione, videt in
Spiritu, & visam Spiritu describit, non amplius ut Propheta &
Notarius veteris instrumenti; sed ut Evangelista & Notarius
novi Instrumenti per partes, ea, quæ contingere tandem cape-
runt & contigerunt cum Christo passo, mortuo & resuscitato.*

CX.

Videt autem cum primis analogia alia contingere Messia
qualia contingebant sacrificiali pecori, quod pro peccato sacri-
ficiam offerri debuit. *Sicut enim* quando pro peccato commu-
nionis sacrificium offertur, mactatur juvenus coram Iehova,
infertur de sanguine in tabernaculum Ecclesie, sacerdos tin-
git digitum in sanguine, & spargit septem vicibus coram Ieho-
va ante velum, ponit etiam super cornua altaris coram Iehova;
postea totum sanguinem fundit ad basin altaris holocausti, to-
tumq; adipem tollit ab eo, & adolet super altare: deniq; juven-
cum educit extra castra, & penitus comburit eum:

CXI.

*Ita quoq; Christus in civitate Iehovæ per sacerdotes cum
primis ipsi insensibilissimos damnatur ad crucem, varijs modis fla-
gellari procuratur, multis modis sanguinem effundit, percuti-
tur, miserabiliter tractatur, & tandem extra urbem educitur,
et extra urbem vita sua sanguineq; privatur, & tunc animam
suam ponit sacrificium pro peccatis. Quæ vox DWN in Esais
sumpta est ex cap. 7. Levitici ipso.*

CXII.

De loco
Daniel. 9.

Denique quod spectat ad aureum locum Danielis cap. 9.
*Hebdomadas decisas prævidit hic Propheta in Spiritu septuaginta super po-
pulum suum, & super urbem sanctam suam, ut consummetur prævarica-
tio, & finem accipiat peccatum, & deleatur seu expietur (Caphar) seu
expietur*

expietur iniquitas, adducatur iustitia sempiterna, ut impleatur visio & Prophecia, & ungatur sanctus sanctorum.

CXIII.

Prævidet insuper particularius, quod usq; ad Christum dissem, ab exitu sermonis, ut iterum edificetur Ierusalem, sint hebdomada septem, & hebdomada sexaginta duæ, & quod post hebdomadas sexaginta duas, occidendus sit Christus, & quod civitatem & sanctuarium dissipaturus sit populus, cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & quod confirmaturus sit pactum multis, hebdomada unâ, & in dimidiâ hebdomadis deficere debeat hostia & oblatio. In Hebræo est vox זבח & מנחה zebach & mincha: quorum illa specialiter significat sacrificia ex pecoribus & avibus, hæc verò muvera ex cibis & leguminibus. Et videt Propheta utrumq; genus sacrificij finem suum sortiri.

CXIV.

Quanquam verò de sepruaginta illis hebdomadibus disputationes eruditorum sunt variæ; tamen certissimam Spiritus Sancti regulam adversus Iudæos decet amplecti, & per universas provincias sonare, & urgere Christiana agmina illam, quod stantibus adhuc utriusq; generis jam recensitis sacrificiis (tùm ijs, quæ fiunt ex mactatis, tum quæ fiunt ex frugibus & farina, & panibus & vinis) debeant exhiberi, patiq; & resurgere Messias.

Stantibus sacrificiis secundam Daniëlem Messias venire debuit.

CXV.

Hæc est illa funda Davidis, per quam solam Judæorum Goliathi, si modò quos doctos habent, hoc est, Rabbini hodie & omni tempore sunt prosternendi, siquidem res in Daniële nimis est clara, quod adhuc durantibus sacrificijs Messias venire debeat. Et quia jam modò ultra sesquimille annos sacrificia utraq; per Daniëlem cognominata generalia corruerunt & evanuerunt, neq; etiam vel hæctenus instaurari potuerunt, ob gravissimas & divinitus impediētes causas, quas infra tantum uno verbo tangemus, (nam ad alia loca pertinet fufior earum, & necessaria diligentior meditatio) neq; unquam amplius instaurari valebunt, debebunt, oterunt: Consequentia infertur adamantina, & hoc sole meridiano æstivoq; ac solstitiali clarior, quod omnino jam dudum venerit Messias, & quod noster Messias, qui apparuit paulò ante sacrifici-

crificiorum destructionem, sit iste, qui fuit in Paradiso promissus, postea toties per Prophetas repromissus.

CXVI.

Omnia enim sacrificia, indè ab initio post lapsum, usq; ad sacrificiorum ultimos actus, non debuerunt nec potuerunt per divinam institutionem alieno igni comburi, sed comburi debuerunt tantum per illum, qui miraculosè primitus dabatur & per Patriarchas conservabatur, posteaq; in novam rituum istorum confirmationem, quandoq; de novo itidem divinitus instaurabatur. Qua de re suo loco plura.

CXVII.

Recentiores Judæi, argumentorum horum soliditate attoniti, comminiscuntur, pro una hebdomada computandos esse quadraginta novem annos vel etiam centenarios. Sed hisce moveri commentis nemo debet, quia potius ex hypothesi, ponendo non concedendo, ponendo inquã, ut fortiori prælio vincantur, quasi una hebdomas plures complecteretur, quàm septem annos, ilicò quilibet urgeat ratiocinationem jam inculcatam, à defectu sacrificiorum, qui non potuit extra finem septuaginta hebdomadam Danielis cadere, verùm necessariò statuendus est ante terminum sacrificiorum appropinquantem.

CXVIII.

Nihil etiam efficit aliorum recentium Judæorum obiectio, quasi post defectum sacrificiorum verè & omninò debuerit Hierosolyma destrui, ut tunc nova post captivitatem Babylonicam commissa Judæorum punirentur peccata, & finitis illis peccatorum pœnis, ipsi sapere inciperent, & vivere purius, ut tandem his ultimis temporibus nostris instaurari possint sacrificia & florere, sicuti antè destructionem ultimam Hierosolymæ florebant.

CXIX.

Etenim vel exiguã saltem intentionē ad legendam visionem Danielis afferentes, satis agnoscent, 1. & destructioni urbis, 2. & defectui sacrificiorum, 3. & adductioni novæ justitiæ, præstitui non amplius quàm 70. hebdomadam tempus, Oportuit igitur justitiam illam adduci ante destructionem urbis, nequaquam verò expectare convenit illam post elapsam septuaginta hebdomadam numerum.

120. His

CXX.

His igitur breviter pro necessitate, super tribus capitibus, Genesis, Esaiæ, & Danielis indigitatis & explicatis, jam monstratu erit longè facillimum, sacrificia vetera, jam inde ab initio post lapsum fuisse: typos sacrificij istius perfectissimi, quod pro totius generis humani peccatis semel offerre debuit Messias in cruce plenissimum.

*Sacrificia
vetera fue-
runt typi.*

CXXI.

Nam ut compendij compendium faciam, si olim promissus fuit Messias, qui pro lapso genere humano pati debuit, & si post ipsum promissum tamen introducta fuerunt sacrificia expiatoria, si post sacrificia diu in Ecclesia tractata tamen Messias ipse sacrificium pro peccato fieri debuit, si portare debuit omnium nostrum iniquitatem, si livore istius sanari debuere omnes, si primum istius Messiae tempore, debuit consummari prævaricatio, finem accipere peccatum, expiari (*caphar*) vel deleri iniquitas, & si tùm justitia debuit adduci sempiterna, si tùm impleri visio & Prophetia, utique antea, tot millenarijs annorum sacrificia ipsa non ita expiarunt, ut tollerent & finirent peccatum, expiarent iniquitatem, adducerent justiciam seculorum. Sed prius illud omne est verissimum, ergo & posterius certissimum; & per consequens sacrificia legalia fuerunt typi, proprijsimè sic appellandi, & tandem facti & peracti in cruce sacrificij Domini nostri Jesu Christi, pro peccatis totius generis humani.

CXXII.

Omnino hujus argumenti firmitudinem majorem spectabunt, quotquot considerare sategerint paulò accuratius, tum, quod sacrificia cæperint, non in statu innocentiae, sed in statu corruptionis, nimirum non nisi post peccatum introductum: tum, quod sacrificia desierint, statim post peractum à Christo magnum sacrificium. Sicut enim ibi aliquid præcessit (promissa satisfactio pro generis humani peccatis, per mortem intercessoris) cujus rei gratia fuerunt ipsa sacrificia instituta: ita quoque hic aliquid (impletio satisfactionis per mortem Christi) factum fuisse necessarium fuerit, propter quod illis amplius opus non esset.

¶

123. Sic

CXXIII.

Sic quoque ejusdem argumentationis firmitudinem augebit penitior meditatio ista, tum quod sacrificia fuere per quatuor millenarios mundi ferè, & circiter; & annuatim quædam, & quædam quotidie repetita; tum quod sacrificium Christi saltem unicum, & certo tempore peractum fuit, longè ergò amplius aliquid fecit, quàm omnia, antecedentia nimirum, sanavit Christus omnes, dum portavit omnium iniquitates, dum consummavit ipsam prævaricationem, finivit peccatum, adduxit justitiam sempiternam, & simul finivit visionem, Prophetiam, & quæcum visionib. ac Prophetijs cognationem habebant, verbi causa, ipsa reliqua sacrificia cum suis minchis.

CXXIV.

Quis hîc non palpando palpare posset, sacrificia legalia sic nuncupata fuisse imperfecta, sacrificium vero Christi perfectissimum. In Eisaia & in Daniele sit mentio unius mortis Christi: at magnus recensetur numerus sacrificiorum Leviticorum passim. Quis igitur adhuc agnoscere & fateri detrectabit, sacrificia legalia fuisse typos, & quidem typos ipsius veri sacrificij magni Domini nostri Jesu Christi.

CXXV.

Hæc ex ipsis scripturis petita argumentatio tam est clara, ut & veteres Judæi & hodierni, nolentes volentes credant & verbis profiteantur aliquam Messia Christi futuram humiliationem, & hodierni quidam hisce verbis eam efferant, Daß es war sey/der Messias /wenn er komme/werde geschwechet werden.

CXXVI.

At non levem fuisse Messia, aut esse debuisse Messia infirmationem, patere & constare voluit Deus ex circumstantijs rituum in sacrificijs, ubi fiebat maectatio, excoriatio, sparsio sanguinis, dissectio partium corporis sacrificialis, combustio, &c. quam Psalmus 22. & 110. & alia scripta sacra itidem, per Evangelicam Prophetiam, & Propheticum Evangelium sæpè indignant. Passim enim quosdam actus infirmationis, debilitationisque Christi, sicuti à Judæis hodiernis appellatur, sed nunquam rectè definitur: hoc est, passim passionis Christi vestigia

extare

extare voluit Spiritus Sanctus, cujusmodi sunt; venditio pro 30. argenteis, mactatio citra ossium jacturam, vivificatio post triduum, in Prophetis, aliaque similes visiones conscriptae quam plurimae.

CXXVII.

Si quis ergo quaerat, qua fide salvatus sit Daniel Propheta, qua fide salvatus fuerit Esaias Propheta, qua fide David Abraham, quam Adam & totus electorum chorus sub veteri Testamento: Respondeo: ex fide, amplectente remissionem peccatorum suorum, quam remissionem sua passione ac morte promeriturus ipsis fuit Dominus ipsorum Messias, qui portavit omnium ipsorum iniquitates, sanavit ipsos livore suo, posuit animam suam sacrificium pro peccato, consumavit ipsorum praevagationem, delevit ipsorum iniquitatem, adduxitque justitiam.

Daniel salvatus est fide in sanguinem Messiae.

CXXVIII.

His enim verbis formalibus modum justificationis suae describunt Prophetarum principes quidam, Esaias & Daniel, verbis inquam tam claris, ut clariora reperire non potuerint, ex revelatione & visione divina, cujus modus Judaeis olim erat cognitus ac percognitus. Exemplum extat 1. Reg. 22. ubi Propheta Micha jubetur regibus praedicere eventum belli, quod susceperunt: tunc igitur sic rem proponit: Vidi universum Israel dispersum super montes, velut oves, quibus non est pastor: dixitque Iehova: non sunt domini istis, revertatur quisque domum suam in pace. Ad praeterea sic loqui Micheas: vidi Dominum sedentem super solium suum & omnem exercitum caeli assistentem ei a dextris & a sinistris, & ait: quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendant & cadat in Ramoth, Gilead, &c. Ex his apparet, fortissimis ex visionibus, in quibus res futurae representabantur divina ratione, quasi jam fierent, Micheam tum Prophetatum fuisse.

Quam potentes visiones habuerint Prophetae.

CXXIX.

Fuisse visiones & somnia divina representationes rerum, singulari potentia divina factas, & profundas nimirum impressiones (longe infinites somnijs vulgaribus, quae & ipsa saepe acria sunt,

E 2

ut

ut jurent homines, somniantibus adfuisse homines peregrinantes, excellentiores) satis colligi etiam potest ex Nebucadnezare: Illi enim divinum somnium de Monarchijs immittitur & iterum subtrahitur, in Danielis libro descriptum.

CXXX.

Convocari igitur mandat omnes doctos & magos, ut refricarent ipsi somnium divinum, constitutis interpreti præmijs, & donis, & honoribus magnis. Cum autem hoc præstare nemo posset, excellentissimâ & requiem non admittente somnij visi vehementiâ commotus, ex furore præcepit, ut interficerentur sapientes, etiam modò & jam actu ipso sapientes interficiebantur, quærebaturq; Daniel cum socijs, ut & ipsi occiderentur.

CXXXI.

Ex his igitur utrunq; æstimare licet, quod fortibus divinis spiritualibus impressionibus, rerum futurarum exemplaria Prophetis procurarit, & ob oculos spirituum repræsentare solitus fuerit Dominus, sub veteri Testamento, quæ ipsi postea populis maxima fiducia annuaciaverunt & inculcârunt, nihil veriti odia procerum, nihil carceres, nihil mortes ipsas acerbissimas. Spiritus enim Propheticus requiem mentibus ipsorum non permittebat, sed concitabat eos, ut dicenda dicerent.

CXXXII.

Sicut ergò alia plurima, ita nativitatem, ministerium & passionem quoque Domini nostri Jesu Christi præviderunt fortissimis impressionibus & revelationibus sibi repræsentari Prophetæ: unde multoties in descriptionibus suis præterito tempore utuntur, quasi jam actu ipso impleta fuerint ipsorum istis temporibus omnia. Hæc iccirco breviter tango, ut pateat, quod livores Christi, seu vibices Christi, sacrificium pro peccato à Christo peractum, iniquitates omnium per Christum portatas, & justitiam seculorum adductam, non levi saltem brachio & obiter, sub veteri Testamento tractârint Prophetæ.

CXXXIII.

Imò, si quis legere gestierit Judaicos libros, is Judæorum veterum de passione Christi fidem hanc eandem fuisse deprehendet, Exempla citantur à Petro Galatino in opere de arcanis

Catho-

Catholicæ veritatis, & à Paulo Medicò, Judæo olim, & postea
ad Christianismum converso.

CXXXIV.

Interim ex multis alijs locis notum est, veterem illum ho-
minum morem, quod externis plus inhiant, quàm internis spiri-
tualibus, multos quoque in V. Testamento vexasse, qui omnem
fiduciam in externis sacrificiorum ritibus collocabant; contra
quem extant gravissimæ Prophetarum invektivæ.

CXXXV.

Porro, confessionem de merito Christi nemo putaverit
fuisse privatam opinionem Esaie & Danielis, sed certissimè sta-
tuet, Messiam & Daniele ex divino instinctu illa scripsisse, que
de passione & de efficacia passionis Christi, inde ab initio post
lapsum, sub sacrificiorum typo tota credidit antiqua Ecclesia,
omnis chorus omnium Patriarcharum, & omnium à seculo ul-
timo usq; Prophetarum. Unus & idem enim fuit Spiritus S. in E-
saiâ & Daniele, qui olim fuit in reliquis prophetis, quiq; contra-
rijs implicare populum salvandorum nequaquam voluit confes-
sionibus.

*Id quod E-
saias & Da-
niel de pas-
sione Messie
crediderūt,
utiq; et jam
crediderūt
omnes san-
cti ab initio
mundi.*

CXXXVI.

Hinc etiam fiduciam suam omnem ita in Messie meritum
spirituale posuerunt, sicut apud hodiernos Judæos, veræ sen-
tentia de Christo detortores, omnium individuorum, ut in
scholis loquuntur, constantissima spes est, super Messiam cor-
poralia exhibiturum beneficia. Sic enim Daniel petit audiri pro-
pter Dominum, cap. 9. propter Dominum (in eodem capite nono
sibi revelatum) finiturum peccata, adducturumq; sempiternam
justitiam: non aliter, ac si dixisset: exaudi nos propter Jesum
Christum, Dominum nostrum, fularum pro nobis sanguinè suum.

CXXXVII.

Petit inquam audiri propter DOMINUM, non dicit,
urbem esse destructam propter Dominum. Cur verò desolatum
fuerit sanctuarium, toto contextu præcedente satis indicatur,
nempe propter prævaricationem eorum, qua prævaricati sunt: quia pecca-
vimus tibi, quia recessimus à te. Et cum primis versu 16. Domine in o-
mnibus justicijs tuis avertatur furor tuus, & ira tua ab urbe tua Jerusalem.

E 3

men

monte sancto tuo: propter peccata n. nostra, & propter iniquitates patrū nostrorum, Ierusalem & populus tuus in opprobrium sunt cunctis, qui sunt in circuitu nostro.

CXXXIX.

Itaque sic orat exaudiri propter Dominum Messiam, sicut mox versu sequenti 19. addit; exaudi Domine, parce, attends, ne moreris, propter te ipsum, Deus meus!

CXXXIX.

Et hoc eodem pacto David longè olim antea vocat etiam Christum seu Messiam, Dominum suum, Psal. 110, 1. sed qualem Dominum? nimirum, qui conjunctim futurus sit juxta Melchisedeci exemplum Rex & Sacerdos, qui humiliabitur, sed tamen exaltabitur, qui à pugna, non tantum tutus erit in cælo, ut Elias est tutus, sed qui post pugnam Dominaturus est in medio inimicorum suorum, donec omnia subjiciantur scabellum pedibus suis.

CXL.

Sic Moses quoque petit & precatur bona posteris Josephi Deut. 33, 16. ut veniat super ipsos benedictio illius, qui apparuit in rubo, nimirum Angeli magni, Filij Dei Exod. 3, 2. qui locutus est ex rubo, quò etiam tandem ex eodem monte prolocutus est & promulgavit Decalogum, Exod. 23, 20, 21, 23.

CXLI.

Sic eundem futurum Messiam invocat, decussatim compositis manibus Jacob Patriarcha, Genes. 49, 16. angelus, qui eruit me decunctis malis, benedicat pueris istis. Ab hoc angelo futuro Messia dicit Esaias omnia vetera populo Israelitico exhibita fuisse beneficia, & concipit formulam precum, in quâ jubet, ut tota Ecclesia Angelo Messia futuro gratias pro iisdem agat, solennes, Es. 63, 9. qualia similia honorum vota recitat Oseas cap. 12, 5.

CXLII.

Hoc etiam semen, in quo benedicendæ fuerunt omnes tribus terræ Abrahamo quàm notissimum quam charissimum fuisse, si nec Judæi nec Phœniciani, ambabus nobis largirentur manibus, operosius deducendum foret, ex totius vitæ Abrahamiticæ historia.

CXLIII.

Eundem Dominum solum agnoverunt primi parentes Genes.

nes

Gen. 4. 1. *acquisivi virum Dominum.* Necessario enim habet vltra istam
particula *NON* quam habet eandem ibidem, versu 2. *perrexit parere*
fratrem ejus ipsum Abel.

CXLIV.

Respicit enim Eva ad virum qui sufficeret contritioni capi-
tis seu regni serpentis istius antiqui, qualem dicebat esse Jeho-
vam ipsum, id quod etiam ex vocabulo nominis Caini, non le-
viter exprimitur, quam cupida fuerit istius ipsius viri eodem
in principio statim post lapsum. Deinde: nec causa esset, cur alias
etiam *cum Domino* Abelem acquisitum esse subtraheret Eva. De-
niq; si quis expendere exactius loca, in quibus activum verbum
conjugitur cum *NON*, is deprehendet, omnino in lingua He-
brea interdum esse accusativum, non verò juxta idiotismum
Latinum vel Græcum *CUM A &c.*

CXLV.

Sæpe autem queritur, cur de sacrificijs, passionis & mortis Christi ty-
pis quoad institutionem & quoad formas, & quoad reliqua requisita ferme
nihil extet, in prioribus capitibus Geneseos: & respondetur ex scopo, ad
quem direxit Moses scriptionem quinque suorum librorum,
quam ipse procul dubio in quinque tomos non secuit, sed postea
illud fecerunt alij.

*Cur in pri-
mis Gene-
seos capiti-
bus ferme
nihil de sa-
crificiorum
institutione
extet.*

CXLVI.

Per Moysen isto tempore ex Ægypto & ex deserto debue-
runt introduci in terram Chanaan Israelitæ, & ut introduci pos-
sent in terram Chanaan Israelitæ, prius erant vincendæ populo-
sissimæ Chananæorum gentes, simul & robustissimæ. Hic igi-
tur hærebat, imò prorsus excidebat animus Israelitis. Quapro-
pter scriptionis Mosaicæ unicus scopus erat, ostendere, quam
potenter protexerit intra terram Chanaan Israelitarum ducem
& patrem Abrahamum, cui primò illam terram promiserat:
quam potenter Isaacum & Jacobum, personas paucas idem
Deus defenderat, intra eandem terram, quam ipsis & posteris
eorum ibidem promiserat.

CXLVII.

Opus inquam erat historiæ de conservato in terra Cha-
naan

naan promissa Abrahamo, Isaaco, Jacobo, repetitione prolixiore, per quam animi novorum Israelitarum, quamplurimum erigerentur. Nemo igitur mirabitur, Genesios capita 38. occupari a solis historijs Abrahami, Isaaci, Jacobi; cum quibus connectitur Exodus in hunc modum: *Et haec sunt nomina filiorum Israël, quibz venerunt in Aegyptum cum Iacobo.*

CXLIX.

E contrario brevibus duodecim capitibus prioribus Genesios contractae proponuntur historiae tam primavorum, tam longavorum, tam divinissimorum Patriarcharum, tam amplissimarum Ecclesiarum, tam variarum rerum ibi gestarum, inventarum: quia nimirum properanter festinat scriptio ad ea, per quae tunc in proposito occupandi terram Chanaan, recreandi & excitulandi erant singulorum animi.

CXLIX.

Et haetenus ex solis scripturis veteris Testamenti, citra ullam adjectam opem scripturarum novi instrumenti demonstrare sategi. 1. Christum Jesum venisse in hunc mundum, ut satisfaceret passione & morte sua, pro peccatis totius generis humani in cruce. 2. ejusq; passionis & mortis typos fuisse sacrificia veteris Testamenti. Idque feci propter Judaeos, qui ex veteri omnia sibi probari postulant; feci etiam propter Arianos recentes seu Photinianos, qui praecipuum hoc argumentum satisfactionis Christi pro peccatis totius generis humani, a ritu sacrificiorum petitur, miris strophis pervertere allaborant. Quae strophae omnes facilius discutiuntur, ex hoc ipso de sacrificijs legalibus fundamento penitus explicato.

CL.

Pueriliter ergo, & nimis pueriliter hodierni Judaei desipiunt, qui, cur sacrificia olim majoribus ipsorum praeeperit Dominus caeli & terrae, qui eos eduxerat ex Aegypto, indicare causam ullam nequeunt. Simul maximopere decipiunt & decipiuntur Ariani recentes, quod Deus voluerit Israelitis remittere peccata, priusquam sacrificarent, citra tamen omnem satisfaciendi suspicionem levissimam, quasi ullo modo satisfecissent sacrificia pro peccatis. Cujus rei contrarium superius fulissimè est demonstratum.

CLI.

Turpiter item decipiunt, in anniversario sacrificio Pontificem aliter non expressisse totum populum Israelis, quam quod adhibitis ceremonijs pronunciarit, iam Deum ipsis remisisse peccata. Cur enim inquam, peccata totius populi debuit confiteri super caput hirci vivi, nisi ut portaret hircus iniquitates omnium filiorum Israel in desertum? cur itē vir, qui deduxit hircum in desertum, pro immundo fuit reputatus, nec nisi post facta faciendā potuit ingredi iterum in castra, si illæ ceremoniæ prorsus fuerunt sine ullā satis faciendi significatione,

Peccata imponantur sacrificiis peccatoribus, unde pecora fiebant immunda.

CLII.

Quod addunt, sacrificia nulla pro gravibus peccatis fuisse instituta & celebrata, magnoperè errant. Annon sunt magna errata, fallere proximum in deposito, pejerare, rapere aliena, vi alteri suum eripere: & tamen pro illis ordinantur sacrificia Levit. 6.

CLIII.

Quod Deus quovis tempore pœnitentiæ veniam constare velit; etiam propter gravissima scelera, utiq; non tantum exemplis stabilitur, quæ Ariani dicunt esse pauca, sed regulis.

An Deus quovis tempore velit remittere peccata.

CLIV.

Extat Deut. 30. Evangelium illud totius V. T. de spe remissionis grandiu etiam peccatoru. Nam postquã precedentibus libris ac capitib, suas leges & pœnas contra omnia scelera proposuerat, & in primis huic etiam obviandum esse videret malo, quod vel connivente Magistratu, vel etiam multa possent clam impunè perpetrari, tandem istis omnibus denunciat suas severissimas & acerbissimas maledictiones Deus plurimas c. 27. & 28. & 29. Et tamen c. 30. subjicit: erit, cum (inter maledictiones meas) conversus fueris, ad Iehovam Deum tuum, miserebitur tui, & reducet te; & dabit omnes maledictiones super inimicos tuos.

CLV.

Huc pertinet totum cap. 18. Ezech quod de maximis peccatis loquitur, & 33. in quo utroq; Deus pœnitentibus, certissimã veniam & mortis æternæ relaxationē promittit: nolo mortē peccatoris, convertite igitur, & vivetis. quæ vulgata editio verba paulò aliter inducit, sed tamen sensu eodem.

CLVI.

Quamquam vero aliquos in hac vita pœnitentes exercere solet, & urgere suis de causis per ærumnas temporales; tamen iccirco non argumentandum est ad pœnas æternas: Nam & Mosen Deus

F

intro-



introire non paritū in terram Chanaan; interim vero inter bea-
tes cœlestesq; ipsum repositum; pronunciat Jerem. 17, 1.

CLVII.

Interim nequaquam hisce regulis & istis expiandorum pec-
catorum ritibus, tanquam facilimis medijs consequendæ novæ
veniz Deus securitatem vel in sacerdotibus, vel in Auditoribus
fovere voluisse perhibendus est, cum maximis numeris ex veteris
Instrumenti libris allegari queant adversus utrorumq; genera o-
mnia, de cavendis peccatis omnibus admodum divinæ dehortati-
ones.

CLIX.

*His ita præmissis, ex solo veteri Instrumento, ut æquè facilia & dilu-
cida, imò propter eventum jam completum, dilucidiora quædam
subjecio ex novi instrumenti libris; quod sacrificia vetera fuerint typi
passionis & mortis Domini nostri Iesu Christi. Quæ in parte fidissimam
cum primis cum veteri Scriptura manum suam conjungit tota E-
pistola ad Hebræos quæ cap. 8. v. 5. vocat veterem ritum offerendi,
exemplar & umbram cœlestium. Si enim prius sacrificium leviticum
nullam habuisset infirmitatem, novo sacerdotio Christi opus non
fuisset, ut argumentatur idem autor cap. 7, 18.*

CLIX.

Reliqua ex eâdem epistola omnibus satis nota adducere præ-
termitto. Dum autem horum quoq; nimium splendorem animo
advertere videntur Arriani recentes, objiciunt, *in alijs libris novi Te-
stamenti tamen de satisfactione Christi magnum esse silentium.*

CLX.

Et si verò totam & omnem Christi obædientiam, non eam
tantum qua Patri paruit, per totam passionem & mortem sed &
qua nostra causa sponte sese legi subjecit, eamq; implevit, nobis
ad justitiam imputant sacræ Scripturæ, tamen nunc per totam
hanc disputationem cum primis consideratur à nobis illud meri-
tum Christi, quod ex morte & passione ipsius dependet, quodque
fuit repræsentatum veteris Testamenti sacrificijs specialissima ra-
tione indigitis, siquidem sacrificiorum veterum etiam alias atq;
alias subdistingtiones constitui nemo ignorat, de quibus hoc in
loco aliquid adjicere necessarium non fuit. Ergo ad rem, & qui-
dem ex Novo Testamento certis de causis brevissimè.

Et

CLXI.

Et primò quidem ex superioribus constat, pecus sacrificiale fuisse pro homine occisum Lev. 17, 11. Ego dedi sanguinem ad expiandas animas vestras, deinde constat sacrificia fuisse typos seu exemplaria expiationis & satisfactionis faciendæ per Christum, (licet enim hoc vocabulum quoad literã non adest in N. T. tamen quoad sensum & analogiam adest luculentissimè) His ita positis evidenter & irrefutabiliter consequitur, quod ideo propter peccata & pro peccatis & pro hominibus seu loco hominum mori dicitur Christus, quia sicut pecus loco hominis paritur, ita Christus morte sua satisfecit iustitiæ divinæ ob peccata hominem damnaturæ.

CLXII.

Jam igitur expendantur alia loca Apoc. 1, 9. Christus dilexit nos & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & c. 5, 9. Redemisti nos Deus in sanguine tuo 1. Pet. 2, 24. qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cujus livore sanati sumus 1. Pet. 3. Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis 1. Joh. 2, 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum sed etiam pro totius mundi 1. Tim. 2, 6. qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus 1. Thess. 5, 10. qui mortuus est pro nobis Eph. 5, 2. Christus tradidit semetipsum pro nobis OBLATIONEM & HOSTIAM Deo in odorem suavitatis. Agnosce lector typum & rem typo adumbratam. 2. Cor. 5, 14. si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. 1. Cor. 15, 3. Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, Ergò lector veteres Scripturæ innuerunt Christum debere ita pro peccatis generis humani mori, sicut moriantur pecora loco hominum. Rom. 4, 25. qui traditus est propter delicta nostra & resurrexit propter justificationem nostram.

CLXIII.

Huc quod Act. 8. Angelus Domini dixit ad Philippum Ecclesiasten, Surge, vade meridiem versus ad viam, qua ab Ierusalem descendit Gazam. Surgens igitur Philippus profectus est, & ecce quidam Æthyops dynastes Candaces reginæ Æthiopum venerat adoraturus in Ierusalem, & revertebatur sedens in curru suo, legensq; Esaiam Prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo, accede & adijunge te ad currum istum, Accurrens autem Philippus audivit eum legentem Esaiam Prophetam & dixit: Numné nosti quæ legis. At ille ait: qui enim possim, nisi aliquis dux via mihi fuerit, & precatus est Philippum ut ascenderet, sederetq; secum. Locus autem Scripturæ quem legebat hic erat, ut ovis ad mactandum ductus est, & ut AGNUS coram

Tondente se mutus, ita non aperuit os suum, in depressione ipsius
judiciū ejus sublatum est, seculum autem ejus quis enarrabit, quo-
niam non tollitur e terra vita ejus. Respondens autem Eunuchus Philip-
po dixit, Rogo te, de quo Propheta dicit hoc, de se an de alio quopiam. Tum
Christo loqui Philippus aperto ore suo & incipiens à Scriptura ista EVANGELIZANTE
Esaiam de JESUM.
Es. 53. testan-
tur Acta Apo-
stol.

CLXIV.

Joh. 12, 32. Ego si exaltatus fuero omnes traham ad meipsum. Sed nunc
certis de causis plura adducere supersedeo, quibus plenum est
totum N. Test. Matth. 20, 28. Christus non venit ministrari, sed ministra-
re & dare animam suam λύτρον pro peccato. Sicut enim sanguis peco-
ris sacrificialis erat typica expiatio peccatorum: ita Christi san-
guis fuit λύτρον pro peccatis totius mundi verissimum & suffici-
entissimum.


CLXV.


Nec est quod nobis objiciant Ariani, per hanc doctrinam ex
novo etiam Testamento firmatam valdè securos reddi & in mali-
tia scelerum roborari & indurari auditores. Quod enim ad Fran-
siscum Puccium in fine libri de statu primi hominis scribit Socinus (ni-
si vetere homine deposito novum induas, etiamsi non in hac questione tantum,
sed in omnibus Christianae religionis placitis, quin & in singulis divinarum lit-
terarum sententijs, atq; adeo verbis & syllabis interpretandis, mecum prorsus
sentires, non tamen te vel fratrem agnovero) id nostris quoque inculca-
mus æterno cum exitio suo pedibus conculcari sanguinem Christi
ab illis, qui ore credunt tantum & vitam omnem profanissimam
traducunt clam aut palam.


CLXVI.


Dominus noster Jesus Christus hunc sermonem ipsius, qui
est veritas, confirmet in omnium hominum sensu & in nobis o-
mnibus omnem voluntatem bonitatis suam, & opus
fidei in virtute complere digne-
tur.

F I N I S.









01 A 6612

ULB Halle
002 937 107


3



R
WAT



seruū tuū et israeli sac
tu tuū quibz locutus es
pollicēs qd multiplicas
semē eoz sic stellā celi
et sic arena qz est in litore
maris. **Quia dicitur** in
uita sum^o p^o quā omnes
gētes sum^o qz hūc hūc in
vniūsa tra hodie p^oter
uictā nra **Et** nūc nūc hūc
p^oter et p^oter et tūc ne
qz holocaustū nūc sacrifici
ūm nūc oblatiō nūc in
uictū nūc locus p^oter
in corā te ut p^oter in
uictū nūc oblatiō nūc in
aia tota et hūc hūc hūc
suscipiamur **Sicut** in ho
locausta nūc et hūc hūc
et sic in uictū nūc p^oter
quā sic hūc sacrifici nūc



8.

DISPUTATIO
THEOLOGICA ORDINARIA
De
SACRIFICIIS
VETERIS TESTAMEN-
TI, QUOD FUERINT TYPI
Satisfactionis Domini nostri IESU CHRIS-
TI, pro peccatis totius generis humani in cruce
peractæ, adversus Iudæos & Arianos recenteres
potissimum ex V. Testamenti li-
bris confecta.

Quæ sub Jeshu

Publicè habebitur ad diem 10. Junij

P R Æ S I D E

VVOLFANGO FRANZIO
Theol. Doctore.

R E S P O N D E N T E

CÆLESTINO MISLENTA
ANGERB. BORUSSO.

VVITTEBERGÆ,

Typis IOHANNIS GORMANNI, Anno 1614.

8